

## **Terms and Conditions**

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

### Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

### Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100



ritas et amicus dissonant: veritas est semper preferenda amico: ita quod magis est sustinenda quam amici falsa opinio: quod bonum magis semper est faciendum quam malum: igitur. Est etiam advertendum quod destructio amicitie est corruptio communitalis: ita quod dissentire amico in vel le aut nolle est corrumpere amicitiam. Dico ulterius quod preferre veritatem amico. id est opinioni false amici non est dissentire amico: sed est dissentire opinioni amici: et non voluntati amici: cum ipse velit doceri omnem veritatem. Et si dicas: volo quod amico placeant tantum opiniones false: tunc offendet in reprobationibus earum: quid tunc faciendum? Respondet quod in hoc ille esset vitiosus et non amicus: et per hoc soluit prima ratio. Notum est quod corruptio amicitie est destructio civitatis civilis. Dicit etiam quod dissentire in velle vel nolle amici est destruere amicitiam: sed non dissentire opinioni false. Ad secundam dicitur quod quando dicit aristoteles quod iusticia est clarissima virtutum intelligit de iusticia legali et civili que videtur esse omnis virtus: de qua in quanto tractabitur et non de iusticia particulari. Et per hoc ponitur:

**Conclusio** rursus: Non solum amico sed amicitie veritas est preferenda: id est veritas est preferenda opinioni false amici: que conclusio relinquatur probata ex dictis.

**Si enim et est unum quid communiter predicatum bonum vel separabile quid secundum se ipsum: manifestum quod non utique erit operatum neque possessum homini: nunc autem tale aliquid queritur etc.**

**Queritur** An felicitas consistat in bono separato. Arguitur primo quod sic: Quia consistit in deo: cum deus sit finis omnium et deus bonum separatum: igitur. Secundo sic: Bonum magis consistit in fine gratia cuius quam in fine quo: quod finis est per se propter finem gratia cuius: igitur: et talis finis gratia cuius non est nisi bonum separatum: igitur. In oppositum est aristoteles in textu. Pro cuius declaratione:

**Sciendum est primo** quod difficultas huius questionis est propter equivocationem huius quod est bonum separatum. Unde si per bonum separatum intelligat quandam quidditatem vel naturam separatam et distinctam a singularibus que est de essentia illorum singularium: a qua tamen singularia dependunt essentialiter secundum ipsam permanens: et predicat de bonis: quemadmodum videtur quod plato imaginatur fuisse tunc nullum tale est ponendum: nec per hanc felicitas consistit in illo bono: cum nullum sit tale. Dico etiam quod dato quod est aliquid tale: istud non esset bonum possessum et operatum ab homine: et tamen nos hic quodammodo tale bonum: id non potest dici felicitas hominis: saltem in ratione possessi: neque ratione exempli: ut patet in textu. Alio modo per bonum separatum possumus intelligere bonum quod est finis omnium aliorum bonorum: gratia cuius cetera operantur: et omnia ab eo essentialiter dependunt: et est omnium creator: et sic capiendum bonum separatum notum est quod felicitas nostra consistit in illo: quod tale non est nisi deus gloriosus.

**Sciendum est secundo** quod felicitas nostra non consistit in deo subiective: quod tunc per eam non sic esse formaliter felicitas. De etiam nullum potest esse subiectum. Dico ergo quod felicitas nostra consistit in deo vel bono separato obiective: id est deus est illud quod per operationem nostram in qua consistit felicitas nostra attingit: ideo dicitur felicitas nostra consistere in deo obiective: Notum est enim quod felicitas humana nihil aliud est quam operatio hominis secundum virtutem per

fectissimam: que secundum theologos est ipsa charitas: sed secundum philosophos videtur esse sapientia: Ideo ponitur:

**Conclusio** Felicitas nostra non consistit in tali bono separato quale plato videtur posuisse: que conclusio relinquatur probata in primo notabili in qua etiam sufficienter solvuntur rationes.

**Rursum autem redeamus ad questum bonum quid utique sit: videtur quidem aliud in alia operatione et arte. Aliud enim in medicinali et militari et reliquis similiter. Quid igitur unicuique bonum: aut gratia cuius reliqua operata sunt: hoc autem in medicinali quidem sanitas: in militari vero victoria. In edificativa autem domus. In alio vero aliud. In omni autem electione et operatione finis: huius enim gratia reliqua operantur omnes etc.**

**Queritur** An quod est appetibile propter se tantum sit perfectum? Quod illud quod est appetibile propter se et propter alium. Arguitur primo quod non: quod melius est quod est tantum et amplius: sed eligibile propter se et propter alterum est huiusmodi. Arguitur secundo sic: Summum bonum quod est deus non solum propter se sed propter alium est eligibile: quod illud quod est gratia alterius est eligibile propter alium: sed deus est huiusmodi: igitur. In oppositum est aristoteles in textu. Pro cuius solutione:

**Primo sciendum** est quod aliquid eligitur propter alium dupliciter. Uno modo prima intentione. Secundo modo secunda intentione. In illud quod appetitur prima intentione est nobilissimum: et sic dicimus quod omnia appetuntur propter deum prima intentione: sed illud quod appetitur secunda intentione est perfectum altero: quemadmodum dicimus quod deum appetimus propter ista inferiora secunda intentione: hoc est quod deus potest dici propter alterum minus tamen dilectum vel iterum illud in deum referendo. Et quod sequitur quod finis secundus est nobilior huius quod sunt propter ipsum secundum primam intentionem: et alia non dicitur bona nisi propter ipsum: et sic dicitur quod semper deterius est gratia melioris: et hoc est quod communiter dicitur quod duplex est finis: scilicet secundum primam intentionem: et secundum secundam intentionem. Finis secundum primam est semper melior huius quod sunt propter ipsum: et ex eius bonitate alia dicuntur esse bona. Finis secundum secundam intentionem est res inferioris ordinis ordinata ad finem principalem seu ad finem primam primam intentionem.

**Secundo sciendum** est quod aliquid dicitur appetitur propter alterum dupliciter propter alterum. Uno modo secundum appetitum naturalis sine recta ratione regulatum. Alio modo secundum appetitum distortum et naturalis: et secundum istum appetitum contingit prima intentione appetere melius propter per se. An avarus principalem posuit intentionem in pecunia: unde non obedit deo: nec desiderat sciam: nec brevis nisi propter pecuniam: et de istis non oportet quod simpliciter sint meliora: nisi solum secundum falsam opinionem appetentis. Ex quo inferitur quod illud quod est eligibile propter se est melius eo quod est eligibile propter alterum tantum. An illud dicitur eligibile propter se quod habet rationem bonitatis: ut puta quod de se proficit nos vel decorat nos: et illud dicitur appetibile propter alterum tamen quod non habet de se rationem bonitatis: sed solum in relatione ad alterum: ut pecunia vel medicina amara: modo illud est melius simpliciter quod habet in se rationem bonitatis quam quod non habet. Et loquitur hic de bono in nobis non secundum unum cuiusque naturam: quod sic omne ens haberet de se forma

*Quod Birkens Quod  
hinc appetitur solum  
propter alium tunc  
propter se ipsum  
in medicina amara  
solum appetitur propter  
alium et propter  
semetipsum. Quod finis  
appetit propter se  
et propter alium  
sunt medicina  
dulcis et bene  
sapida et alio  
et finis qui appetitur  
propter se et tunc  
propter alium et tunc  
finis et tunc  
et propter se*

*De id est vi  
de scoti in  
1. dist. 35. q.  
vnta.*